

CV

et predilectissimi patris sui. ideo ipsa dicit
 Lañ. iij. Inveni quem dili. anima mea ipm
 in memoria semper habere. vij. die Lañ.
 iij. tenebo eum nec dimittit. et Lañ. j. fasci-
 culus mirre dilectus meus mihi. inter v-
 bera mea commorabit. cor enim inter vbera
 collocatum est. Quid est ergo inter vbera
 dilectum tenere quod dilectum corde pen-
 sare. et talis cogitatio nunquam est onerosa
 sed summa alacritate plena id est fasciculo
 mirre odorifere comparata. sed de his quere
 prima Dominica post penth. Rogemus.

Item de eadem dominica sermo. L. v.

Fiduciam habe-
 mus ad deum. ii. Cor. iij. Sapien-
 tis constat officium esse in eo spem suam pone-
 re. quod cum valeat deum necesse est adiuuare.
 Nam stultissimum esse constat si quis in eo quod
 iuuare non valet confidentiam suam ponat et id
 apertius in verbo promisso duo facit. Primo
 enim actum nobis virtuosum insinuat quem
 debemus habere cum dicit. Fiduciam habe-
 mus. Secundo actum determinat et informat
 quam formam necesse est nos seruare. cum
 addit. Ad deum. In deo enim solum non hominibus
 est confidendum. cuius solius est posse ferre
 subsidium. **A** Est tamen notandum
 quod quidam spem suam ponunt in sublimitate
 potentie. quidam in copiositate pecunie
 quidam in altitudine sapientie. quidam in car-
 nis pulcritudine. quidam in exquisitioe ma-
 licie sine culpe. quidam vero in abundan-
 tia diuine clementie. Prima fiducia est
 omnino frivola. Secunda est falsa et stul-
 ta. Tercia est inutilis et infructuosa. Quar-
 ta est penitus vana. Quinta abominabi-
 lis et iniqua. Sexta vero est solida et ve-
 ra. Dico quod quidam sunt qui confidunt in hu-
 mana potentia. aliquando propria. aliquando
 aliena. quia quidam sunt in se potentes.
 quidam vero sunt potentibus adherentes.
 Sed talis fiducia omnino est frivola et qua-
 si nulla. Nam omnis potentia que non est a se
 ipsa. sed fluit ab alia est omnino nulla nisi quod

tum dat illi prima. Nulla est omnino vir-
 tus arboris nisi quod a radice suscipit. et nul-
 la est virtus in membris cuiuslibet anima-
 lisi in eam non fluat. Virtus prior. ergo
 dum diuina virtus sit omnium potentiarum
 simpliciter prima nulla est omnino huma-
 na potentia sed semper nititur frustra nisi
 si a diuina virtute fuerit coadiuta ubi est
 enim potentia cesaris. ubi potentia neronis
 ubi potentia Alexandri macedonis. Om-
 nes defecerunt. nec in se sperantes iuu-
 re potuerunt. Nam cesar fuit mortuus ce-
 sus a romanis Nero qui piscabatur reti-
 bus aureis. dum vellet occidi a romanis
 dentibus fustem acuit. et se per ventrem
 transiit. Alexander veneno amicorum
 interiit. propter quod dicit in psalmo. No-
 lite confidere in principibus. Item in alio
 psalmo Bonum est sperare in domino quod in
 principibus. In potentia ergo terrena con-
 fidere que se ipsam non potest adiuuare.
 nec se a morte eripere. est super baculum
 arundineum se appodiare. et per filium stu-
 pe se de maxima ripa deponere. et ad fla-
 tum vndique ventis expositum sine ruina
 tenere. propter que omnia dicitur. Miere.
 xxvii. Maledictus homo qui confidit in
 homine. et ponit carnem brachium suum
 Notabiliter dicit carnem. id est potentiam
 carnalem. quia caro est pars fragilissima et
 tenera. non virtute sua sed olis beneficio
 sustentata. **S** Secundo sunt quidam
 qui confidunt in humana sapientia nec at-
 tendunt quod a sapientia diuina est omnis scien-
 tia. nam simpliciter philosophum. cui concordat cer-
 ta experientia. Anima creatur sicut tabu-
 la rasa. in qua nulla est omnino pictura.
 Unde si quis parvulum inter feras nutri-
 ret nullam omnino scientiam haberet.
 Anima ergo cum de se scientiam adqui-
 rit ad omne illud quod in alterum influit
 eo nobilior existit. quod ut vult philosophus
 et quod magis est Augustinus dicit. Omne
 agens est prestantius suo patiente. Sed
 rationali anime solus deus nobilior est